

VIRUM AMPLISSIMUM DOCTISSIMUM MERITISSIMUM

# FRIDERICUM SCHMALZIUM

THAERII CELEBERRIMI DISCIPULUM AEMULUMQUE LAUDATISSIMUM

VIRUM SPECTATAE FIDEI QUEM PROPTER SUMMAM VITAE PROBITATEM ANIMI CANDOREM INGENII PRAESTANTIAM

COLLEGAE DILIGUNT COMMILITONES QUOS PATERNA SEMPER BENIGNITATE SINGULARIQUE HUMANITATE

AMPLEXUS EST PIE VENERANTUR BONI OMNES COLUNT

INPAVIDUM VERITATIS PROPUGNATOREM QUI NEQUE CONSTANTER OBEUNDIS OFFICIIS GRAVISSIMIS

NEQUE COLLEGIS AMICIS CIVIBUS CONSILIO OPERA RE ADJUVANDIS UNQUAM DEFUIT SED TALEM QUOVIS TEMPORE SE EXHIBUIT

UT SUI ANIMIS NOSTRIS IMPRIMERET MEMORIAM NULLA UNQUAM OBLIVIONE DELENDAM

MUNERE PROFESSORIS OECONOMIAE ET TECHNOLOGIAE DORPATI LIVONORUM PER TRIA ET QUOD EXCURRIT LUSTRA

SUMMA MENTIS RELIGIONE ET ALACRITATE ITA FUNCTUM UT LECTIONIBUS TAM PRIVATIS QUAM PUBLICIS

DOCTRINAE EXIMIAE COPIAS LUCULENTER EXPLAARET MULTIS PRAESTANTISSIMISQUE SCRIPTIS

LIBERALEM ERUDITIONEM PER OMNEM RUTHENIAM GERMANIAMQUE SPARGERET

AGRICULTURAE QUAE IPSO CICERONE TESTE OMNIUM RERUM EX QUIBUS ALIQUID ADQUIRITUR

NIHIL EST MELIUS NIHIL UBERIUS NIHIL DULCIUS NIHIL HOMINE LIBERO DIGNIUS

PER IMMENSUM ROSSICUM IMPERIUM TAM INSTITUTIONE ACADEMICA

QUAM MISSIS DISCIPLINAE SUAE INSIGNIS ALUMNIS EGREGIIS PROPAGANDAE OPTIME PROSPICERET

**NUNC VERO REDEUNTEM IN GERMANIAM PATRIAM CARISSIMAM**

UT HONESTISSIMO JAM IN AGRIS SUIS COLENDIS FRUATUR OTIO

VOTIS SINCERIS PRO EJUS INCOLUMITATE SALUTE VEGETA SENECTUTE LAETISSIMOQUE MERITORUM FRUCTU NUNCUPATIS

PROSEQUUNTUR COLLEGAE AMICI CULTORES

**DORPATI LIVONORUM MENSE MAJO MDCCCXXXV.**